

V. Cl. Johanni Emmanueli Walchio P. P.
et Societatis Latinae Jenensis Directori

Paully Maria Paciudius Taurinensis
Ordinis Clericorum Regularium Presbyter,
eiusdemque apud Sanctam Vedem
Procurator Generalis. S. P. D.

Tametsi intelligerem, videremque impendio me a Te diligi,
numquam cogitassem, tua opera, tantam mihi honoris, dig-
nitatisque accessionem tribuendam, ut in hanc lectissimam,
amplissimamque accenserem Academiam. Porro si illud im-
primis ab huiusce splendidissimi coetus conditoribus ca-
utum, sanctumque est, ut qui in illum cooptarentur, in-
genio, doctrinaque cluerent, Latine plurimum scirent, pu-
re, emendatque scriberent, non pro meo merito, sed vestra
benevolentia, ac liberalitate meo viris clarissimis adnume-
ratum sentio, qui ab eo aditu laudis magnopere me abesse
profiteor. Tantum igitur Tibi, totique Academiae debere video,
quantum persolvere difficile est; enitar tamen, atque ad labo-
rabo, ut nullam omnino rem, quae ad referendam gratiam,
memoremque animum testandum facere possit, praetermittam.
Ab Te vero, Vir Doctissime, qui nostrae fuisti cooptatio-
nis proxeneta, id rogo, & majorem in modum rogo, ut
Praesidi nobilissimo, Ceterisque Sociis, nomine meo, grates

310 V
habeas, et summa in illos, ac singularia omnia mea stu-
dia spondeas. Rerum nostrarum procuratio oppido quam
me implicatum, & obstrictum impraesentiarum tenet: sed
si otium ac tempus peroptato dabitur, Dissertationi con-
scribendae libens impendam, et GENIO Academiae nostrae
SOSPITATORI ultro litabo.

Mense Quintili ineunte mihi ad Te Antiquitates Christianas,
aliasque meas Incubrationes praelo excusas; nihilque magis
Costadonia nostro commendari, quam ut fasciculum Je-
nanu nulla interjecta mora, devotim satageret.illum spero
jam in tuas devenisse manus, hocque nostri amoris argu-
mentum in tuis jam oculis esse positum: sed quaeso certio-
rem facias, tuumque de hisce nostris laboribus judicium
candide aperias. Ego quae te velle, quaeque ad te perti-
nere arbitrabor, studiose, diligenterque curabo; imprimis-
que tuebor omni observantia Sodales nostros, quod et
pro beneficiis vestris, et pro dignitate ipsorum facere
debeo. VIVAS, VALEAS, FLOREAS mi. Valehi. Clarissime.

Romae ex Sacris Aedibus S. Silvestri in Monte Quirinali,
a. d. III Kal. Januarii 1706.

314

9 July

Perillustri, Spectabilique Viro V. C.
Johanni Emanueli Walchio P. P., et
Societatis Latinae Directori. —

JENAM.

